Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Lv̈deri Menckenii, IC. Facvlt. Ivrid. Lipsiensis Ordinarii Tractatio Synoptica Institvtionvm Ivris Ivstinianearvm Theoretico-Practica

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Tit. XI. De Acquisitione per Adrogationem.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

Visual Library

poss. atque hæc dispescitur in *ordinariam & extraordinariam, illa ex certa edicti parte* certis personis, certo ordine conceditur, & testamento facto datur vel contra Tabulas, *§. I. II. J. h.* vel §. 1. 2. I. h. secundum tabulas. Testamento non facto s. ab intestato conceditur ex edicto. 1) Unde liberi §. *1. 2. J. h. l. 1. § f. l. 7. ff. si tab. test. null. ext. und. lib.* 2) Unde Legitimi. 3) Unde Cognati *d. §. 2.* 4) Unde Vir & Uxor. *Extraordinaria* bonorum possessio est, quæ *in subsidium* extra certum ordinem *Novis Legibus*, SCtis, Constitutionibusque Principum datur. *§. III.* §. 3. I. h. *J. h.* plura *vid. in Tract. Syn. Inst. h. t.* 3) *Arrogatio, v. Tit. 11. de acquisitione per arrogationem.* 4) *Addictio bonorum libertatum conservandarum gratia, (v. Tit. 12. de eo, cui libertatis causa bona addicuntur)* cui affinis est successio abrogata per bonorum venditionem, & ex SCto Claudiano, quam considerat *tit. 15. de successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum venditiones, & ex SCto. Claud. d. Tract. Syn.*

TIT. XI.

De Acquisitione per Adrogationem.

Continuatio & origo.

EST & alterius generis per universitatem successio, quæ neque Lege duodecim Tabularum, neque Prætoris Edicto, sed eo jure, quod consensu receptum est, introducta est.

Quæ hoc modo acquirantur. Jus vetus.

1. Ecce enim, cum paterfamilias sese in adrogationem dat, omnes res ejus corporales, & incor-

porales, quæque ei debitæ sunt, adrogatori antea quidem pleno jure acquirebantur, exceptis iis, quæ per capitis deminutionem pereunt, quales sunt operarum obligationes, & jus agnationis. Usus etenim & ususfructus, licet his antea connumerabantur, attamen capitis deminutione minima eos tolli prohibuit nostra * Constitutio.

* v. L. pen. C. de usufr.

Jus novum.

2. Nunc autem nos eandem acquisitionem, quæ per adrogationem fiebat, coarctavimus ad similitudinem naturalium parentum. Nihil enim aliud, nisi tantummodo ususfructus, tam naturalibus parentibus, quam adoptivis, per filios familias acquiritur in iis rebus, quæ extrinsecus filiis obveniunt, dominio eis integro servato. Mortuo autem filio adrogato in adoptiva familia, etiam dominium rerum ejus ad adrogatorem pertransit, nisi supersint aliæ personæ, quæ ex Constitution nostra patrem in iis, quæ acquiri non possunt, antecedant.

Effectus hujus acquisitionis.

3. Sed ex diverso pro eo. quod is debuit, qui se in adoptionem dedit, ipso quidem jure adrogator non tenetur, sed nomine filii convenietur, &, si noluerit eum defendere, permittitur creditoribus per competentes nostros magistratus bona, quæ ejus cum usufructu futura fuissent, si se alieno juri non subjecisset, possidere, & legitimo modo ea disponere.

TIT. XII.

De eo, cui libertatis causa bona addicuntur.

Continuatio & summa.

ACcessit novus casus successionis ex Constitutione Divi Marci. Nam si ii, qui libertatem acce-